

21
428
37

II h
882

DE

ELEGANTISSIMA ET LEPIDISSIMA


ARGONAVTICA
NAVIGATIONIS IN IN-
SVLAM COLCHIDEM VEL

LERIS AVREI GRATIA SVSCEPTÆ
Fabulâ; Eiusdemque cum Studijs compa-
ratione accommodatissimâ, Ora-
torio modo elaborata,

à

JOHANNES GANDERO, ERNESTI,
*Pastoris in superiori Helrunge, filio, S. S. Theologiæ ac sa-
nioris Philosophiæ Studio, idibus Iunii permissu eorum,
quorum licet, in celeberrima Academia Lipsica
publicè & habita & in lucem edita
ac emissa*

ORATIO.



LIPSIÆ,

Typis Beervaldinis,

Jacobus Popporeich excudebat.



X 186 2322



LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO





Generoso & illustri Comiti ac Domino,
Dño: PHILIPPO ERNESTO, Comiti in
Mansfeldt, Nobili Domino in Heldrungen, &c.

Illustris: Principis & Elect. Saxon: Capitaneo arcis
Liptensis & Eilenburg: summo, Domino
suo subjectissimè colendo.

Nec non

Magnifico & nobilissimo Viro,

Dño LUDOVICO VVURM, Nobili
in Wolckramshausen, &c. Illustrissimi Principis &
Electoris Saxonici Consiliario præcipuo, atque Comitatus
Mansfeldici constituto supremo Inspectori, Patrono
ac Promotori suo, summo perpetuæ obser-
vantia studio honorando s. d.

Miraberis forsàn, Illustris ac generose Comes,
Domine clementissime, quid sit, quod ego, & nomine
& personâ G. V. ignotus, in conspectum eiusdem illustrem
prodire audeam. Atqui duo sunt, quæ me præcipuè, quasi raptum & tra-
ctum, commoverunt & adduxerunt? Primum quidem, jam dudum in
votis habui, ut vel secundum personam, aut nomen saltem V. G. inno-
tescerem; attamen nullam, quâ id fieri potis fuisset, occasionem vidi.
Nunc autem ipsa hæc Orationis meæ materia ansam præbet commodâ.
Est enim ea de Aureo Vellere. Sed quid hoc occasionis, dicat V. G.? Est
verò Comes illustris. Cum enim ante hoc temporis fortè fortunâ in le-
ctionem Münsteri Cosmographi illius non postremi inciderem, conti-
git, ut ibi historiam, de institutione Ordinis istius summi & laudatissimi
AUREI VELLERIS seu TORQUIS, à Duce laudatissimo Philippo
Burgundiæ factâ, & ab invictissimo Imp: Carolo V. renovatâ, invenire,
inventam pelegerem, perlegendo, **DUOS MAIORUM ILLUSTR:**
G. V. nempe Hippolitum & Petrum Ernestum, G. V. Patrum, Co-
mites generosos, in eundem Ordinem summa cum laude, ob res præ-
clarè gestas, cooptatos, adeoq; in numerum præstantis: Heroum consi-
gnatos esse, animadverterem. Ex eorum verò honore V. G. maximâ læ-
titiâ perfundi, non est quod dubitem. Ego igitur, ut V. G. lætitiâ reno-
varem,

A 2

varem,

varem, aut duntaxat amplificarem, hac materiâ istam historiam G. V. in mentem revocare volui.

Deinde verò magis me, ad hoc exequendum, quod proposueram, excitavit, & quasi instigavit, ut scilicet, aliquod gratitudinis specimen, erga G. V. ederem. Cujusnam gratitudinis, inquit G. V. ? Dicam. Majoribus illustrib. G. V. & proavus Johannes & avus meus Ernestus Ganderi, alias Sawmeister/ab officio tum sibi imposito, dicti, per aliquot annos operam, quamvis exiguam, ita tamen præstiterunt, ut ab iisdem summis beneficijs affecti fuerint. Meum ergo est aliquod grati animi signum edere. Hac igitur, & vix meliori, occasione id me præstare posse existimavi.

Miraberis quoq; Magnifice & nobilissime Vir, mæcenas ac patrone, omni observantiæ studio maximè honorande, quod ante vultum N. V. strenuum progredi coner. Verumenimverò nec hoc sine causis à me fieri N. V. sciat. Attamen illud non vel lucri vel laudis gratiâ à me fit, sed potius, ut & N. V. notus fiam & consilium ac ductum præstantium ac doctorum quorundam virorum sequar. Prædicarunt enim isti summam N. V. erga literatos animi propensionem. Ego ergo eandem mihi hac occasione conciliare volui.

Accipiatis igitur, Comes illustris ac generose, Domine clementis: nec non Vir magnifice ac nobilissime Patrone summa observantiâ colende, accipiatis, submissè peto, sereno vultu, hanc meam juvenilem Orationem, & me benevolentiam vestra amplectamini, studiaq; mea promoveatis, promoveatis ac juvetis. Quod si verò quicq; desideraturi estis in hisce meis meditationib⁹, (meæ enim infantia sum mihi locupletissimus testis) veniam benignè præbeatis, humiliter oro atq; obtestor. Precibus ego meis apud Deum instare non desinam, ut, videlicet, Vos, Comes generose Domine clementis: ac Vir magnifice, fautor honorande, diutissimè nobis salvos & incolumes conservet, atq; annos largiatur Vobis Nestoreos. Valete. Dabantur ex Musæo meo Lipsensi pridie Calend: Julij, Anno Christi Mediatoris nostri genti.

Illustris. G. V.

subjectis:

¶

Magnificæ N. V.

Observantis:

Johannes Ganderus.



ORATIO.

PRÆCLARE ET SAPIENTER, AV-
ditores honoratissimi, scripsit D. Augustinus in expositione
Psalmi quinti: Aliud est mentiri, & aliud verum occul-
tare: quemadmodum aliud est falsum dicere, & aliud
verum tacere. Quâ sententiâ videtur vir insignis innuere hoc,
quod quando quis fictâ quadam oratione ad docendum, erudiendum
& persuadendum utitur, illud non sit mendacium dicere, sicuti
quispiam forsitan existimet. Aliud enim est, inquit, mentiri, & aliud
est verum occultare. Nam mentiri est, quando quis falsa pro ve-
ris aut veritate ipsâ venditat. Teste namq; Tullio, mendacium
est falsa verborum prolatio, cum intentione fallendi. Iam verò,
qui veritatem occultat, non prorsus falsa loquitur, sed utitur quadam
quasi similitudine, quâ ea, ad quæ auditores persuadere conatur,
tectè velut proponit, illustrat, & jucundiora perceptu efficit. Nec
enim, qui veritatem occultat, hanc intentionem habet, ut audientem
fallat, sed potius, ut erudiat, doceat & instruat. Maximum igitur
discrimen est, inter mendacium & occultationem veritatis, cum
illud sit anguis instar fugiendum; hæc verò non modo non fugienda,
verum quoq; sæpissimè inter docendum adhibenda. Testatur hoc
S. Scriptura. Testantur hoc multi egregij Doctores & Oratores.
Testantur idem & alij. His igitur testibus adductis, quorum, qui
primo loco collocatus est, omni exceptione est major, omni refu-
tatione fortior, omni oppugnatione firmior, omniq; impetu stabilior;
quis est, qui affirmet, me iniquè facere, dum vobis, Auditores & c.
etiam tale quippiam referre conor, quod quidem nudè & absolue

consideratum, an aliquid, siue multum, siue parum, veritatis con-
tineat suo loco relinquo; relatum tamen ad aliud, egregiam nempe
doctrinam, complecti certissimè novi.

Est autem illud Fabula quædam, de qua in genere D. Ambro-
sius sic ait: Fabula, etsi vim veritatis non habet, tamen habet ratio-
nem, ut juxta eam veritas manifestari possit. Et Augustinus cum
Isidoro aiunt: Fabularum quidem narrationem esse fictam, signifi-
cationem verò verissimam. Talem etiam ego in medium proferre
conor. Quid ergo? num quis me accusabit mendacij? Turpe est
certè judici, damnare aliquem non prius cognitâ causa. Turpius ho-
mini literato, velle judicare de aliqua re, non prius exploratâ alio-
rum de eadem sententia. Eat quis nunc & dicat, contra Augusti-
num, Isidorum & Ambrosium, fabulas pura pura mendacia esse?
Respondent, imò responderunt dicendum erat. Non igitur, in-
quam, me iniquum laborem suscepisse existimo, dum fabulam hanc,
de Iasone in insulam Colchidem, rapiendi velleris aurei gratiâ, iter-
faciente, elaboratam cum significatione proponere audeo. Quanta
enim hujus fabulæ sit dignitas, quanta gravitas, quanta suavitas,
& quanta audiendi jucunditas, dum narro, auribus vestris benignè
arrectis, percipietis. Suscepi autem hanc de Iasone & Aureo
Vellere materiam, non ut ingenij mei (cujus tenuitatem agnosco)
tanquam ampullosa gloriose ostentationis efflatu tumescens, speci-
men ederem: Si enim ideò fecissem, profectò ineptè mecum corni-
cari & folle ventos premere æquè judicarer: Sed partim lepiditate
amœnissimâ hujus elegantissimæ fabulæ exuscitatus; partim verò
quod hanc fabulam, aut saltem eius significationem, non omnibus
cognitam esse putarem, adductus sum.

Extra

Extra omnem igitur dubitationis aleam apud me situm est,
vos non modo vacuis auribus & attentâ mente mihi adfuturos,
sed etiam hunc meum qualemcumq; conatum approbaturus, & boni
consulturos esse. Quod si quis secus facere, forsân non attendendi,
sed calumniandi potiùs gratiâ irruens, sibi videbitur, hunc, ut no-
tuas Athenas, dum recitationi immoror, portet, jubeo. Non enim
hic, Momo nempè satisfactum iri, quod expectet, se habere sciat.
Unicum adhuc, Auditores &c. à vobis ut impetrem, efflictim
peto, ut si non sat egregijs, luculentis, disertis, plausibilibus & de-
lectabilibus verbis Orationem meam, pro jucunditate materiæ ex-
poli vero, aut ipse non suaviter, comiter & bellè disseruero, ut ta-
men dico vestram benignitatem mihi non detrahatis & verba, non
eâ, qua par est, dulcedine, facienti auscultare, haud molestiam ca-
piatis. Non enim omnia possumus omnes.

Nec cuivis etenim contingit adire Corinthum.

Sed hoc ipsum vos mihi largituros esse nullus dubito. Lætus igitur
ego, læti & vos, accedamus propius ad ipsam rem, quam benignè
auribus vestris percipere ne dedignemini maximoperè rogo. Di-
cam autem primum ipsius fabulæ narrationem: postea verò, quid
nostrum sit Vellus Aureum Scholasticum, adjungam.

PRIMUM igitur historici, qui rerum à græcis memorabiliter
gestarum historiam commemorant, quoque ante bellum Theba-
num & Trojanum expeditionem ponunt Argonauticam, quæ in
Colchidem insulam olim à Iasone, varijs periculis exposito viro,
ad Vellus Aureum abripiendum suscepta fuit. Illud autem
Vellus Aureum, erat arietis pellis aurea (licet enim alij ali-
ter de eodem sentiant; tamen hæc à quibusdam sic tradita
descriptio magis arrisit) erat, inquam, pellis arietis aurea,
à Phryxo

à Phryxo rege quondam, in honorem Martis aut Mercurij sustensa,
ideò, quia ille per arietem novercæ suæ iram ac tyrannidem, ex re-
cusatione incestæ libidinis originem trabentem, effugisset, atq; hac
ratione non tam virginitati, quàm sui ipsius saluti prudenter consu-
lisset. Ad hoc Vellus aureum recuperandum Iason, per igno-
tas terras, locos, vrbes, vias, maria, insulas, scopulos, imò per saxa
per ignes (ut ait Poëta) missus fuit, ob causam, vobis benigniter au-
res arrigentibus, jam recitandam. Rex Pelias, Iotci quondam
imperitans, gubernaculaq; tractans, ab Oraculo responsum accepisse
fertur, se, scilicet, manu cuiusdam ab Æolo oriundi interemptum
& non tam imperio expulsum, quàm vitâ exemptum iri. Hoc
ipsum Pelias, vsq; & vsq; attentâ memoriq; mente perpendens nun-
quam oblivioni tradiderat. De varijs iccirco procul dubio ratio-
nibus & vijs, Æolidas omnes è medio tollendi, & veletiam quo vis
modo internecioni dandi, ineundis sollicitus fuit: quinimò (refe-
rentibus historicis) ut quoq; Iasonem, etiamnum infantem & ex
gente Æolia ortum, rebus humanis eximeret, plurimum laboris ex-
hausit. At quid factum sit notate? Hoc ipsum per caliginem
aut nebulam quasi intelligentibus & subodorantibus propinquis
Iasonis, nescio quo fato ducti, sub tenebricosissimâ densissimæ
cuiusdam noctis opacitate, ipsum opertum & in arcula occlusum,
tanquam è corporis ergastulo eductum, efferunt & in antrum Chi-
ronis deportatum, huic ad educandum & enutriendum committunt.
Postquam verò Iason adolevisset, rursus aliud responsum reno-
vatum est Peliae, ut sibi ca veret nempè ab illo, quem altero pede nudo
conspiceret ad sacra venientem: ab illo enim se trucidatum iri.
Hoc rex percipiens, procul dubio in hæc verba prorupit: *Vinam.*
Vtinam.

utinam mihi copia insidiatoris vitæ meæ fieret ! Proh Deum !
quantis, quantis tractaturus essem ipsum, quinimò indignis & su-
perindignis modis affecturus ! Atqui jam videor mihi occasionem
arripere explorandi insidias struentem vitæ meæ. Dixit enim oracu-
lum, illum adventaturum & unico solummodo calceo ad sacra acce-
leraturum esse. Heu quam benè dixit ! Hoc nulli oblivioni tradam.
Agite igitur, agite, inquam, instituemus & celebrabimus festum
Neptuno, & ita meherculè oculis nostris offeretur & subijcietur iste
nobis periculum intendens, qui, tum statim apprehensus & arreptus,
impunitatem tanti sui sceleris & improbi conatus nullo modo con-
sequetur. Ecce, instituuntur festa Neptuno, omnes subditi, moti
à se omni morâ, ad volant : accelerat quoque &, abjectâ omni cuncta-
tione, manibus pedibusque eò festinat Iason, relinquens suos labores,
& fortè fortunâ, relicto post se altero calceo in limo, nudo pede præ-
sentiam sui facit, seq̄ sistit. Hoc rex conspiciens, oraculiq̄ non im-
memor, statim, de eo ad necem adigendo, & quocunq̄ vel etiam cru-
delissimo mortis genere afficiendo, consilium capit. Post multas
verò deliberationes &, hinc inde ab hoc & ab illo varias ac tristif-
simas, de supplicio Iasoni irrogando, consiliorum suggestiones, Rex
Pelias ad se Iasonem accersi jubet, accersitum hisce gravissimis,
& ex generosa regie indignationis effervescentiâ atq̄ ardore profi-
cipientibus, verbis interrogat atq̄ compellat : Heus tu, heus Iason,
quâ, quæso, dic pœnâ affecturus esses illum, de quo Oraculum te
certiorem fecisset, quod, videlicet, vitæ tuæ insidiaretur, quinimo
te ab ipso interfectum iri affirmasset ? Age, aperi nobis, quid sentias.
Ibi Iason nihil mali, nihil periculi, nihilq̄ damni metuens aut cogi-
tans, hem quid cogitans ? ne quidem suspicans, sed potius subridens

B

respon-

respondendo inquit: Ego, Clementissime Rex, missurus essem ipsum
in Colchidem, ad rapiendum vellus aureum, quod quale fuerit supra
audiuistis lectissimi auditores. Hoc audito & percepto, Rex ad
circumstantes ait: Euge, quam pulchrè & aequè suosibi gladio Ia-
son jugulatur? Est malum consilium plerunq; consultori pessimum.
Conuersus verò ad ipsum Iasonem in hæc ponderosa verba erumpit:
Te Iason, te Oraculum nobis per signum nudati tui pedis alterius
ostendit, obtulit, prodidit & ad manus tradidit: de te idem præ-
nunciavit, quasi insidiareres & periculum intenderes dolosè, frau-
dulenter, audacter, quinetiam perfidè & nefariè præter omne jus,
præter omne fas, præter omne meritum vitæ nostræ. Hem quid
audes? quid moliris? quæ te impietas invasit? quis furor? quæ de-
mentia? quæ crudelitas? & quæ summa & insperata immanitas?
Nonne Deos? nonne homines? nonne me, tam potentem, tam sa-
pientem, tamq; magnanimum regem pertimescis? Hæccine tua fides?
Hæccine homagium nobis præstitum? hæccine, erga defensorem
tuum gratitudo? hæccine pietas tua? hæccine dilectio pacis? ô te insa-
num! ô furibundum! ô extremis supplicijs afficiendum! Age igitur,
age inquam, aut turpissimam mortem, crudelissimumq; suppli-
cium subi; aut te ipsum, ad novissima auxilia descendendo, tot peri-
culosissimis procellosissimisq; ferè inextricabilium itinerum turbini-
bus, ad recuperandum, pro dicta à te sententiâ, Vellus aureum,
expone, fortunæq; inconstantissimæ aleæ committe. Elige, utrum vis?

Putabat autem Rex & certò confidebat, ipsum aut in itinere
casu aliquo perditum, aut Syrtibus ac scopulis in mari absorptum,
aut certè à dracone & ignivomis tauris (qui custodire dicebantur
vellus) dilaniatum ac devoratum iri. Verum animadvertite.

Cum

Cum Iason, sese effugere è manibus regis non posse, conspiceret, nisi
vel alteram conditionem reciperet, posteriori tandem, nempè abitu
in Colchidem ad vellus aureum, annuit, & Palladis instinctum ac
ductum sequens, magnam navim ab Argo (unde illa quoq; nomen
adepta est) sibi fabricari curavit. Scriptum post se reliquit Dama-
getus, quod Pelias tenuibus clavibus configi navim jusserit, ut eò ci-
tius Iason periret, quod tamen Argum artificem haud fecisse com-
pertum est. Hanc navim lectissimis ex totâ Græciâ principibus ac
heroibus complevit, inter quos præcipui numerantur à Scriptoribus,
Acastus, Admetus, Amphion, Hercules, Iphiclus, Laocon, Or-
pheus, Peleus & alij complures. Iam igitur classe instructâ, consti-
tutis ducibus & naucleris, omnibusq; rebus, quantum fieri potuit,
pro viribus ad navigandum dispositis, navem ascendunt, à littore
funes solvunt, rudentes laxant, classem deducunt, vela ventis ex-
ponunt, portum relinquunt, mare conscendunt, mox in altum ve-
luti ad cælum vehuntur, mox in profundum quasi ad abyssum de-
merguntur, totosq; sese mari omnique eius periculo committunt.
Sed quid fit? Postquam eam insulam quæ ab amenitate flo-
rumque copiâ nomen acceperat, præternavigarent, periculum
erat, ne delicato ac suavisono, imò flexanimo (ut Poëticiis utar vo-
cabulis) Sirenum cantu quæ insulam eam incolebant, in exitium
tristissimum præcipites agerentur. Atqui ibi Orpheus assidet puppi,
fides blandis digitis impellit, simulq; vocem illam, qua alias ru-
pes memoraque traxerat (ut fingunt) explicare incipit, & tantâ
aures sociorum audientium animosque voluptate complet, ut jam
omnes Sirenum cantus floccipendant & nihilifaciant, ysdemque
non moveantur, atque ita salvi & incolumes prætervehantur.

De Ulyſſe ſcribitur aliàs, quod ille quoq̄, cum Sirenes præterna-
vigaturus eſſet, ſociorum ſuorum aures cerâ clauſerit, ne cantus illa-
rum perciperent, ſeipſum verò malo nauiſ alligari fecerit, atq̄ ita
tutus cum ſuis euaſerit. Sed hæc aliena. Quid periculi Iaſoni
ulterius oblatum ſit cum ſocijs, notate. Rectè enim dicitur:

Incidit in Scyllam qui vult vitare Charybdin.

Nam Iaſoni quoq̄ id accidit; quia cum multifaria jam discrimina,
multas anguſtias, multas Syrtes, & loca periculoſiſſima, ipſe &
ſocij, præternavigaſſent & circa Myſiam verſarentur, in triſtiſſi-
mam, ſummam & laborioſiſſimam periculi extremitatem delapſi
ſunt, ita ut penè naufragium feciſſent & in aquis ſuffocati eſſent,
niſi Hercules tam ſtrenuè laboraſſet, ut etiam remos perfregerit,
cæteriſq̄ ſocij ſuccenturiati difficultatem pelagi ſuperaſſent. Exant-
latis igitur infandis ac duriffimis laboribus, tandem ad littus circa
Myſiam appulerunt, ubi egreſſus Hercules è naui ad reficiendos
remos ſuos, paulò verò diutiùs moratus, rerum quippè terreſtrium (ut
quidã contendunt) voluptate detentus, à ſocijs interim diſcedentibus
relictus fuit. Cæteri verò, navigationi intenti, ſecundo vento atq̄
curſu in terram Colchorum, ex animi ſententiã, delati ſunt, ubi,
è naui egreſſi, ad arcem regis Aetæ contenderunt. Rex igitur,
de eorum aduentu certior factus, ad obviam illis procedendum ſeſe
faſtuosã & egregiã pompã, ſplendido & inſigni comitatu, quin-
etiam ornatiffimo & politiſſimo ſermone inſtruit, inſtructus proce-
dit, procedendo illos accedit, accedentes ſalutat, ſalutatos compel-
lat, compellatos liberaliter excipit, honorificè verò exceptos & qui-
busvis regie honeſtatis ornamentis decoratos & cumulatos, in au-
dam ſecum deducere dignatur. Inter eundem autem forſitan honeſtã
oratione

oratione Iason à rege petit, ut, se aureum vellus, in horto quodam regis pendens, secum in patriam transvehere, permetteret. Permisit Rex, sed cum conditione, ut, scilicet, prius ista monstra, illud ipsum aliàs ab omni injurià defendentia, domaret, mansueta, placidaq; efficeret, de quibus paulò inferius, qualia fuerint, percipietis.

Cum verò jam mœnia arcis pertransiissent, in hortum seu viridarium idem, ubi vellus aureum suspensum erat, multifarijs odoratissimisq; floribus, herbis & arboribus refertissimum, amenissimum, fragrantissimum, aspectuq; jucundissimum abducti sunt. Sed sistite gradum, quæso, hic, Auditores Ornatiss: & ingredimini mecum cogitationibus vestris hunc ipsum hortum, & egregias res videbitis. Ecce enim (mirabimini audientes!) ecce, inquit, in eodem horto, præter cætera visu maximè digna, & miris modis admiranda, tres etiam fontes, varijs rivulis per illud viridarium diducti, conspiciebantur. Et primus quidem eorum lacte fluebat candidissimo ac dulcissimo, eumq; tres virgines egregio, quamvis dissimili, habitu indutæ, potu ciboq; excipientes lacteo primum adventantes, circumstabant. Probè hæc, Auditores &c. intelligite, & animis vestris infigite! Secundus fons autem paulò remotior ab illo situs, vino exundabat limpidissimo & suavissimo, cui rursus aliæ ornatiores superioribus & pulchriores astabant virgines, vino, hospites, ex fonte illo hausto, excipientes. Tertius deniq; ex editiori ac excelsiori loco demanans, oleo fluebat pinguis- simo, optimo ac preciosissimo, propè quem iterum tres aliæ virgines maximè insigni vestitu & ornamentis splendidissimis ornatissimæ, mirificè politæ & politissimè excultæ, quæ accedentes

hospites oleo isto fragrantissimo, ex fonte excepto & extracto
aspergebant, ut quocunque se deinde verterent aut quodcunque pe-
netrale ingrederentur, secum odorem importarent gratissimum &
jucundissimum. Probè, probè, ut dixi, Auditores, hæc tenete!
Ab his porrò Iason eiusque comites, cum rege ductore, digredien-
tes & paulò magis ad aulam regiam contendentes, in medio penè
viridarij, ilicem quandam procul conspiciunt viridem, de cuius
ramis aureum illud dependebat vellus fulgentissimum; ad quam
cum propiùs accedere cuperent, ecce, subito ex una parte sub quer-
cu erigit sese horribilis, immanis, oblongus, torvus, aspectu ter-
ribilis, ignitis oculis, stupendâ magnitudine, insomnis & vultu
truci planè formidabilis, faucibusq; apertis fugiendus draco. Ex
altera verò parte astantes, horrendi, vehementi quoq; quantitate,
cornibus longissimis & execrabilibus furibundi, indomiti, igni-
vomi & flammæ omniremas (poëticè loquor) è naribus fu-
mantibus spirantes, tauri cernuntur, qui omnes accedere ad quer-
cum & vel manu Vellus saltem attingere, nedum hostiliter illud
auferre, conantes prohibebant ac depellebant. Quos cum Iason sanè
obstupescens conspiceret, aliquantulum animi sui magnitudinem
inflectebat, timore afficiebatur, & anxio erat animo ac valdè
ambiguo, an, scilicet, vellere hoc aureo potiri posset? Interea
tamen pristinam generosi sui animi præstantiam ac fortitudi-
nem non deponit, sed, viribus à pavore ac formidine recollectis
& revocatis, de diversis modis, rem pensiculatiùs (ut prudentes
debet) expendendo, Vellus acquirendi, sollicitus cogitat, &
quantum quidem pro portione virili poterat, mærorem ac metum
dissimu-

disſimulans, tandem cum Rege aulam ingreditur. Poſt in-
greſſum honorificentiffimis verbis à rege invitatus convivio
excipiebatur, exceptus inter epulandum, tantam continentiam,
tantam civilitatem, tantam verecundiam, tantam modeltiam,
tantam honeſtatem, tantamque probitatem præ ſe ferebat, ut Me-
dea regis filia honeſto erga ipſum amore accenderetur; quinimò
tantas conciperet flammæ, ut extinguerè eas nullâ ratione,
niſi deſiderio ſuo expleto, poſſet, adeò ut etiam validos ignes, ac
furorem amorem eius Ovidius nominet. Quid fit? Ipſa, ne arden-
tiſſimi amoris vehementia diſſiliret aut conficeretur, omnes ſui
animi vires colligit, & , quaſi virilem animoſitatem arripiens,
in hæc verba (loco tamen ab aula paterna remoto) amabilia
verecundè prorumpit: O animi mei exoptatiſſimum deſiderium!
O pectoris mei glycerium dulciſſimum! O amantiſſime amice
Jaſon! Quantus in me amoris erga te ardor, quanta vehe-
mentia ſit, credo, me verbis tibi exprimere non poſſe? Age
igitur, quaſo, ô centies millies & plusquam incredibiliter per-
amante Jaſon, age, inquam, petitionique meæ, ex fervidiſſimo
amoris flagrantiffimi corde meo provenienti, locum, locum, peto,
relinque, meque conjugem tibi ſuſcipe, ac ſociam tori tui juge:
tuis ego votis, qualia, qualia etiam ſint, viciffim reſpondebo.
Jaſon, hanc ampliſſimam ſpem ſibi oſtendi cernens, pollicita-
tur, ſe, nempe, uxorem ipſam ducturum, ſecumque in patriam ab-
ducturum eſſe, ſi copiam priùs ipſa ſibi faceret adipiſcendi Vellus
aureum, in medio horti ad ilicem ſuſpenſum & custodia firmiſ-
ſimâ, imò deteſtandâ & fugiendâ præcinctum & circummunitum.

Atqui

Atqui ipsa statim respondet: *Petitioni tuæ jam jam satisfacio. Jam jam enim aureum illud vellus à dracone & igni vomis tauris abripies, modo animo sis infractò, imperterrito, intrepido, excelsò & minus demisso. Bone Deus! bone Deus! quanta nunc gaudia, omni ex aspectu draconis & taurorum formidine, & metu dempto, animum Iasonis obreptant & obruunt? quantam ad læticiam contorquetur? adeò ut, vivatne, an demortuus sit, ignoret? Interea Medea mox, Veneris instinctu, arte mirabili pharmacon præparat, eoq; efficit, ut draco ille insomnis & tauri igni vomis sibi somnum conciliari patiantur, adeoq; sese quieti tradant, omnesq; suos ignitos flatus & spiritus contineant. Quæ dum sic conspicit Iason, ad quercum è vestigio accurrit, aureum Vellus tollit, navim, absq; ullâ regis valedictione, ingreditur, & regis eiusdem filiâ, nunc in matrimonium ductâ, ad se receptâ, ad patrios rursus lares navigando tendit, eosq; salvus & incolumis cum uxore peregrinâ in visit, atq; ita Vellus aureum, cuius gratiâ hanc navigandi provinciam susceperat, secum in patriam regionem, ex Colchide de vectum, affert & apportat.*

Hæc est recitatio fabulæ, (si modo fabula nominanda) ad declarandum propositæ.

Progredior nunc, Auditores &c., ad ipsam narratæ huius fabulæ exactiorem considerationem, ut videamus, quid quasi sub ea lateat? Verum enim verò variæ hinc inde interpretationes eius apud scriptores, reperiuntur, quas si omnes hic, recensere vellem, vos auscultando, & ego dicendo, usq; ad nauseam defatigaremur. Unicam igitur brevissimè; alteram verò copiosiore, ut fabulæ accom-
modatio-

modatiorem, adducturus sum. Præbete, quæso, ut hætenus, sic
quoque nunc, benevolas aures.

Sunt, qui hanc fabulosam historiam, de summa summorum
principum ac heroum conspiratione & concordia, explicandam esse
censuerunt. In quâ sententiâ proculdubio etiam fuit quondam, lau-
datissimus ille princeps ac Dux Philippus Burgundiæ, qui haud
dubiè hac Iasonis expeditione Argonauticâ excitatus, primus, post
natum Christum Anno 1429. nobilissimum illum ac celebratis-
simum ordinem equestrem, aurei Velleris, instituit, multosque
nobilissimos proceres splendore torquis aurei insigniuit. Post hunc
invictissimus Imperator Carolus V. cum Ordinem renovasse dici-
tur, anno (ut quidam referunt) 1545. ideò, ut esset nexus concor-
diæ, inter tot heroes fortissimos, & consequenter perpetuum ac fir-
missimum propugnaculum patriæ, tutissimumque adversus omnes
omnium barbarorum hostium incursiones & violentos impetus. Et
profecto, si cum ratione tanquam æquissimâ lance rem accuratiùs
perpendimus, hoc laudabile institutum, excellenti cum utilitate,
& commodo conjunctum esse, haud obscure deprehendimus. Quid
enim validius, quæso, & inexpugnabilius est, virorum princi-
pum concordia? Quid firmitus, quam regum & imperatorum fida
consociatio & conspiratio? Vix quicquam puto. Tanta enim est
unanimitatis firmitas, tanta concordia potentia, tantæque consensus
vires, ut nihil tam solidum, tam arduum, imò tam Herculeum
sit, quod non exemplo Argonautarum, conjunctis viribus, conjun-
ctis consilijs, conjunctis votis, conjunctis animis, conjunctaque labo-
rum ac sudorum assiduitate penetrari, superari, aut certè saltem im-
minui, ac debilitari possit. Sed cum hæc ipsa fabula interpretatio
C adhuc

adhuc nimis sit angusta, neq; sat egregiè accommodari possit, leuiter
attactam post nos relinquamus, & ad non modò aptiorem, verum
etiam iucundiorè & utiliorem accedamus. Estote igitur, Audi-
tores, ut hactenus, sic quoq; post hac bene voli.

Quid verò aliud aureum illud Vellus esse dicam, quàm sum-
mam in Scientijs & artibus doctrinam & eruditionem, de qua
Diogenes ait: Esse iuuenibus sobrietatem, senibus solatium, paupe-
ribus diuitias, diuitibus ornamentū, hem quid ornamentum? imò fe-
licitatem, sapientiam & libertatem esse ipsis, dixisse debebat: quem-
admodum dixit Thales Milesius interrogatus: quisnam esset felix?
Qui corpore, inquit, sanus est, animo verò eruditus. Vnde apparet
aureum nostrum Vellus non esse lac gallinaceum vel insignes
diuitias, quinimò nec honor, spendor, dignitas aut nobilitas est
illud ipsum, sed sola, sola, dico, Eruditio, quam si quis multo qui-
dem labore, sudore, molestiâ, industriâ & studio nactus possidet,
tunc illa omnia, tanquam accidentia pleriq; eam consequentia, quoq;
solet acquirere? Rectè igitur nostrum Vellus Eruditionem soli-
dam statuere nos censeo, præsertim cum eadem aliàs quoq; aureæ con-
sueverit comparari rotæ, in excelso montis vertice collocatæ, qui
mons in inferiori parte, quâ quis ad auferendam illam ascensurus
est, densissimis dumis, sentibus, carduis, & id genus alijs obstaculis
circumseptus ac circumclusus est. Quod si igitur quis rotam istam
apprehendere conatur, illam oportet primùm hæc spineta aculeata
quasi perrepere, post perrepta altiùs ascendere, ubi varia adhuc præ-
pedimenta obijciuntur. Hic labor, hic opus est, hic ne palmam, quid
palmam? ne digitum, quid digitum? ne unguem, quid unguem?
ne culmum, quid culmum? ne pilum latum, hem quid pilum latum?

ne tan-

ne tantillum, & ne minimum quidem, ab incepto est resistendum, sed assidue laborandum. Quò propius enim quis ad rotam accedit, eò planiorem viam esse experitur, donec tandem particulam eiusdem, vel, pro festinatione inter currendum, bonam partem apprehendat, eamq; non aliter ac vellus aureum possideat. Est igitur nostrum Vellus, Eruditio, vix, ac ne vix quidem, auro seu gemmis pretiosissimis comparabilis. Aristoteles Stagirita dicebat: Eruditionem esse in prosperis ornamentum, in adversis refugium. Benè dixit. Benè dixerunt & ceteri. Quemadmodum enim Iason, nisi refugium & quasi asylon unicum, Vellus aureum, ad quod acquirendum iter suscipiebat, habuisset: certè malè, imò pessimè à rege Pelià tractatus esset: ita & nos, nisi curriculum vitæ nostræ ad Eruditionis splendorem dirigeremus, certè sæpissimè à quibuscunq; malis pessimè afficeremur. Vbi enim nulla Eruditio, ibi nulla prudentia: ubi nulla prudentia, ibi nullum consilium; ubi nullum consilium, ibi nullum auxilium; ubi nullum auxilium, ibi nulla pax; ubi nulla pax, ibi nulla quies; ubi nulla quies, ibi perturbatio; ubi perturbatio, ibi nulla salus; ubi nulla salus, ibi destructio, ubi destructio, ibi ruina, ubi ruina, ibi tristissimus & celerrimus est interitus. Nulla igitur salus in inscitia: te Eruditionem poscimus omnes.

Quid verò, per Deum immortalem quaeso, aliud ostenditur per Iasonem, quam is, qui ad eruditionem sibi comparandam manibus pedibusq;, velis remisq; contendit, de quo non ineptè Poëta canit:

Esto memor patrijs cur huc sis missus ab oris?

Moribus ut redeas cultus & arte domum.

Quemadmodum enim Iasonem redire in patriam, & quieti sese tradere non oportuit, nisi prius aureum Vellus assequeretur: ita

certè studiosum non decet desistere à suo labore & studio, nisi prius
Eruditionis copiam sibi faciat. Estote ergo, estote, ô juvenes!
strenui Iasones. Connitimini, connitimini quantum pro portiuncula
virili potestis, ut Vellus propositum attingatis. Ascendite, quæso,
& ingredimini naues, hoc est, apprehendite virorum multijugâ
& excellenti literarum peritiâ insignitorum libros, suppellectile
eruditionis exquisitioris, variâ instructos & refertos. Hos, hos,
aio, hos in manus sumite, loco Palladis in consilium adhibete, per-
legite, lectos animis vestris infigite & retinete. Hos ipsos Alphon-
sus rex optimos consiliarios esse dixit, à quibus, scilicet, sine metu, sine
gratiâ, quæ nosse cuperet, fideliter audiret. His igitur & vos appor-
tabimini ad aureum Eruditionis Vellus, illudq; apprehendetis.
Habetis naucleros. Quid enim aliud sunt præceptores doctores &
professores liberalium artium & scientiarum, quàm fideles nautæ,
ostendentes na vigandi modum, hoc est, dirigentes nostram diligen-
tiam ad hanc vel illam doctrinam amplectendam, monstrantesq;
viam ac rationem discendi utilia & fugiendi mala. Habetis
socios. Tot enim in eadem na vi vecti adolescentes, hoc est, in iisdem
studijs versantes, quid aliud sunt, quàm fideles socij, quorum exem-
plo, quorum industriâ & sedulitate alacriores quoque reddimur?
unde ille:

Tunc benè fortis equus referato carcere currit,

Cum quos prætereat quos ve sequatur habet.

Proponite, quæso, vobis exempla majorum nostrorum, omni-
genâ eruditionis multijugæ copiâ & splendore insignitorum, qui
omnes vires, omnes nervos, omne studium, omnem diligentiam,
omnem industriam, omnem laborem, omnem curam, omnem vim,
omne

omne tempus, omnes annos, omnes dies, omnes horulas, imò omnes
ferè temporis punctulos eò contulerunt, ut sibi solidæ doctrinæ co-
gnitionem laudabilem compararent. Demosthenes ad annum usq;
Sexagesimum in studijs literarum exactiùs indagandis & pensicu-
latiùs evolvendis, noctes diebus conjungendo, pervigilavit. Cicero
ad annum usq; quinquagesimum cum lucubrationibus studia conti-
nuavit. Quid loquar de Aristotele, Platone, Socrate, Virgilio
& innumerabilibus, tam ante multos quàm paucos annos viventi-
bus, alijs, qui totos dies, hem quid totos dies? imò totas noctes cum
ipsis diebus, absq; ullâ temporis intercapedine, literis invigilarunt?
En quid audet salvius Iulianus? Sic dicere solitus est: Si alterum
pedem in sepulchro haberem, adhuc tamen addiscere vellem. O lau-
dabilem audaciam! Agite igitur, agite, obsecro, expandite vela
mentis & intellectus vestri, vosq; mari, molestijs puto varijs, in
perscrutandarum & solertiùs inquirendarum literarum labore oc-
currentibus exponite.

Multa (enim inquit Poëta) tulit fecitq; puer sudavit & assit,
Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Abstinuit Venere & Bacho, qui Pythia cantat.

Nec sanè tam exiguo labore & brevi tempore eruditio compara-
tur, quemadmodum quidem colonus ille quondam existimabat,
qui cum plaustrum ligno vendibili oneratum in urbem vexisset, fi-
lium suum, qui unà eò profectus erat, ad pædagogum quendam du-
cebat, rogabatq; ut is hunc filium suum eruditum (ut rusticis utar
verbis) faceret. Interrogatus verò à magistro, quando cuperet sibi
restitui filium, respondit: Se habere aliquid ligni in foro, & eo
vendito rediturum, filium secum in patriam ad matrem reductu-

rum, præmiūq; pro institutione soluturum esse. Putabat homo
agrestis filium suum, ne quidem adulterinā literarum scientiā il-
litum, unico isto momento statim edoctum iri, ita ut multis alijs
antecelleret. Risum teneatis amici! De responsione autē homuncioni
datā facilē quispiam vel etiam semidoctulus, nedum sapiens con-
jecturam capere potest. A teneris igitur unguiculis & à primis
annis talem Iasonem navigationi, hoc est, studijs & literis intentum
esse oportet.

Ergo, dum licet, & veros etiam nunc editis annos

Discite, eunt anni more fluentis aquæ.

Nec quæ præterijt cursu revocabitur unda:

Nec quæ præterijt hora redire potest.

Vtendum est ætate cito pede labitur ætas:

Nec bona tam sequitur, quàm bona prima fuit.

Atqui hîc, non aliter ac Argonautis, juvenibus studiosis quoq; Si-
renes sese offerunt, illosq; blandissimis suis quasi catiunculis in suam
nassam turpissimi exitij illicere conantur. Quid enim aliud sunt ju-
cundissimæ, & tamen turpissimæ, imò perniciosæ & extremè
aversandæ Voluptates, quàm Sirenes? Profectò quemadmodum
hæ, suavissimis suis sonis & cantilenis, ita audientium animos oc-
cupant, ut sæpè easdem secuti ad extremam extremi exitij extremi-
tatem devehantur: sic illæ quoq; suâ inani suavitate, turpi dulce-
dine, & primâ quidem fronte letâ, sed postea tristissimâ facie, ita
animos hominum, præsertim verò juvenum, semel raptos possident,
ut quantò magis quis insatiabili ipsarum putredini ac turpidini inhæ-
ret ac indulget, inq; cæno libidinum, porcorum instar, sese volutat,
tantò

tantò propiùs se ad durissimi, acerbissimi ac (proh dolor!) deplorandi studiorum suorum naufragij, per voluptatum, gangrenæ more, repentiū apprehensionem facti, subsequentiā incommoda appropinquare sciat.

Hoc exploratissimum quasi habens Socrates inquit: Voluptates, non aliter quàm Sirenes, prætereundæ sunt ei, qui properat, ut virtutem veluti Patriam conspiciat. Hoc intelligens Cicero ait: In voluptatis regnò non potest consistere virtus. Et rursus dicit: Voluptas esca malorum, quâ homines capiuntur, ut hamo pisces. Hoc non ignorans Seneca loquitur: Voluptates etiam se va ingenia rapiunt, ideoq; debellandæ sunt. Et certè omninò divisum imperium virtus cum voluptate habet, adeò ut ubi una sit, altera ibi consistere nequeat. Est enim virtus nihil aliud, quàm habitus moralis, quo semper id agimus, ut, quod moderatum nobisq; conveniens ac honestum est, consequamur. Quid? Dicetnè quis talem esse voluptatem? Dicetnè quis eos, qui flagitiosas mortiferis libidinibus habenas laxant, agere id, quo honestum acquiritur? Profectò qui non intelligit voluptatem à virtute, non aliter ac turpe ab honesto, differre; ille aut quo vis pistillo retusiori ac turpiter birto ingenio natus est, aut certè Intemperiarum fremebundarum furore agitur. Voluptas enim, teste Isidoro in Synonimis, est cum quadam lubricâ suavitatē ad illicita fœdæ mentis inclinatio. Adhuc dicis, voluptatem idem esse cum virtute? Non certè puto. Dixerunt quidam, voluptatem esse ultimum finem hominis. (Voluptatem autem intelligo corporis: cum animi enim voluptate hîc nobis non est res) Dicunt id adhuc quidam Veneris delicatuli milites. Pessimè dicunt. Et videor mihi potiùs audire sves ex Epicureorum grege

grege grunnientes, quàm homines. O tempora, tempora, qualia mon-
stra protulistis! Si enim hoc verum esset, certè voluptates, ut Sy-
renes, non essent fugiendæ. O mendaces, mendacibus quibusvis men-
daciores! O juvenes, juvenes fugite hinc, latet anguis in herba!
O sacer Orpheus trabe pectora nostra fidibus, & voce tua plausibi-
libus, ne Sirenum cantus, id est, voluptatum dulcedinem perci-
pian. Quid verò aliud ostendit nobis Orpheus, quàm fideles admo-
nitores, qui suâ amabili voce aures nostras implent, præmia stu-
diorum amplissima ostendunt, ac indies hortantur, ne labyrinthum,
antrum carnalium voluptatum impermeabile, ingrediamur, in eoq̃,
duce libidine, tanquam regressionis nescij, errantes summâ atque
(Eheu!) non sat deplorandâ miseriam pereamus. Et ut verum fa-
tear, hanc curam gerere debent quotidie parentes, præceptores, co-
gnati & alij, ut studijs incumbentes debortentur à turpi, & ad ho-
nestum adhortentur. Hoc non obscure, innuit Spartanus quidam,
referente Plutarcho, qui interrogatus, quid utilitatis pueris adhi-
biti pedagogi conferrent? Efficiunt, inquit, ut, quæ sunt honesta,
eadem pueris etiam fiant jucunda. Vbi verò jam quis honestis dele-
ctari incipit, ibi statim omnis turpitudine & mala voluptas ceu fu-
gata fugit. Quare etiam Lacon alicuius pueri susceptâ curâ, inter-
rogatus, quid esset ipsum docturus? Efficiam, inquit, ut honestis dele-
ctetur, & turpibus offendatur. Neq̃ verò tales adhortationes
sunt tam steriles, ut nullos stimulos post se relinquunt; quinimò
sepe tantam efficaciam habent, ut meritò quis mirari possit, quem-
admodum passim exempla in libris eruditorum virorum occurrunt,
quæ brevitatis studio, prætereunda sunt tacito (quod dicitur) pede.
Hinc etiam Ovidius:

Acer

*Acer & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris fortius ibit equus.*

Atqui oportet etiam pueros talibus vocibus Orphei, hoc est, admonitoris fidelis, aures apertas arrigere, non modo arrigere, sed etiam easdem percipere, reponere, retinere, & quotidie mente repetere. Sin autem quis secus faciat, & Orphei talis cantiunculas repudiet, ille certè à Sirenibus in extremum exitium, & in perditionis scrobem deducitur ac flebile studiorum suorum naufragium facit.

Hinc Nazianzenus ait: *τυχή πᾶσα ἀνθρώποις, ἀθεράπευτος.*

Verum enim verò jam non satis est Sirenes præterijisse, hoc est, voluptatum venenum dulcissimum & tamen virulentissimum non degustasse, sed prætereà quoq; se Argonautis, puta, studiosis juvenibus, Scopuli præacuti & immanes, maximeq; declinandi offerunt. Quid verò sunt isti? Nihil aliud, quàm varia tædia, quæ in castris Musarum militantibus, occurrunt. Tale est paupertas & inedia, de quâ Poëta canit:

*Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat,
Res angusta domi.*

Quid, si ego dicerem?

*At facilè emergunt quorum virtutibus astat
Res augusta domi.*

Egregia sanè inversio. Atqui quàm verum hoc posterius sit, ostendit Seneca. Multis enim, inquit, ad philosophandum obstuere divitiæ. Huiusmodi quoq; Scopuli sunt negligentia, ignavia, arrogantia, ludi inhonesti, assidue belluationes, commessationes, potationes & id genus alia. Hasce tam immanes tam diras ac duras rupes dum cohors Argonautarum, id est, Studiosorum, vitare tendit, ô bone Deus! quàm multi evadentes è Charybdi, incidunt in Scyllam.

D

Muli,

Multi, inquam, dum vident se, Theognidis divitijs præditos, tantâ paupertatis mole premi, ut etiam sæpè vicatim ostiatimque victum & amictum quærere cogantur, inhonesta negotia tractanda, quæstum turpissimorum faciendorum gratiâ, ad manus sumunt, atq; ita à Musarum contubernio secedentes valedicendo quasi repudium cum bonis literis faciunt; cum tamen scire deberent, honestam paupertatem (quod sapientissimus Cato affirmat) impijs divitijs longè præferendam esse. Hoc enim opprobrij, illud miserationis causa fieri solet. Multi quidem non planè à literis resiliunt, aut cum Musis divortium faciunt, sed tamen talibus cogitationibus tam strenuè vexantur, ut, nisi Herculeæ animi fortitudo ipsos intra terminos bonarum artium contineret, certè etiam naufragium studiorum suorum facerent. Dum enim cernunt negociatoribus multis, ingenti auri farragine cumulatis, perinsignes imò amplissimas suppetere opes, ô quàm, varias opiniones animum suum ingredi patiuntur optantes sæpè; Utinam, utinam mihi quoque tam copiosa & immensa bonorum myrmecia esset! quinimò sæpenumerò suo desiderio & curâ, de luculento auri cumulo congerendo eò pertingunt, ut lupum auribus tenere videantur, & variè distracti, explicatam consilij rationem non habeant, an scilicet Musarum arcana, plurimi facienda, relicturni & aliorum negotiorum tractandorum officinas accessuri sint, an minus? cum tamen maximè non ignorare deberent, multoties & non rarò tantos opum acervos, tam inhonestè, tam nefariè, tamque scurriliter ex exiguis inferioris plebis, cum sudore & labore partis, pecuniolis atrâ cum conscientie notâ & lesione, exuètos, corrasos & congestos esse, demumq; non aliter, ac plumæ in ventorum turbines conjectæ,

conjectæ, dispergi & in nihilum redigi, ut benè dicitur: Malè
parta, malè dilabuntur. Et Poëta dicit:

De malè quæsuis non gaudet tertius hæres.

In talibus igitur, anxys equidem, de bonorum gargaris acquiren-
dis, cogitationibus ad Herculem nos fugere oportet, qui strenuè
laborando nos ex tantâ periculi extremitate liberet, hoc est, opus
est animi fortitudine. Per Herculem enim nobis nihil aliud
ostendi videtur, quàm infracta & excelsa mentis constantia, quade
propositis studijs nos depelli haud patiamur. Teste enim Cic: in Rhet:
Fortitudo est immobilis inter aduersa gloriosa animi claritudo, res
arduas pulchrè administrans, quæ nec aduersis infestando frangi-
tur, nec prosperis blandiendo elevatur. Si autem hæc fortitudo
debet esse fortis Hercules, id est, si debet permanere in studioso
Iasone, profectò eam conjunctam esse oportet cum assiduis preci-
bus, & tunc Hercules, id est, animus noster fortissimus effici-
tur, ita quidem, ut licet tot millia & iterum centena millia saxa
seu præpedimenta obijcerentur, tamen ille, à suo cursu ad aureum
eruditionis Vellus, se dimoveri & abduci non patiatur. Nihil
enim potentius, inquit Chrysostomus, homine orante. Et Cassi-
dorus inquit: Oratio serenat Cor, abstrahit à terrenis (advertite!)
& mundat à vitijs, hoc est, omnis generis aduersis & molestis co-
gitationibus cor abstinet. Atqui ubi piæ preces, in cordibus Argonau-
tarum seu literis incumbentium hominum, frigescent ac cessant, ibi
Hercules quasi è navi egreditur, & ab eadem, sicut & à socijs, stre-
nuè in studio ad Vellus Eruditionis pergentibus, linquitur, hoc est,
ibi fit animi demissio & plerunq; deflexio, vel ad res parum honestas,

vel omninò turpes; ibi studia honesta repudiantur, de turpibus lucris
faciendis consilium habetur, pietas relegatur, omnis generis vitia
magis magisq̄ auferunt & expullulant, & sepius tandem talis
homo, turpissimum desperationis barathrum, cum eoq̄ non sat de-
plorandum, monstrosæ caliginis, extremarum tenebrarum, tormen-
torum, cruciatuum & miseriarum vallem incurrit. Vbi enim talis,
talis, inquam, animi deflexio, ibi plerunq̄ impietas. Iam verò im-
pietas gignit superbiam, superbia gignit contemptum Dei, contem-
ptus Dei gignit securitatem, securitas parit vitia, vitia pariunt tur-
pitudinẽ vitæ, turpitudò vitæ parit ignominiam, ignominia parit do-
lorem, dolor parit metum, metus parit terrorem, terror parit tremo-
rem, tremor fert stuporem, stupor fert desperationem, desperatio
affert injustitiam, injustitia parit iram Dei, ira Dei parit æternam
damnationem, æterna damnatio parit sempiternum opprobrium.
Exhorrescat cælum, contremiscat terra, & stupefiant elementa, ad
isthæc crudelia vitia sepe ex unius rei vitiosæ, primâ quidem fronte
leuiusculæ apparentis, scaturigine quasi promanantia! O preces,
preces sanctæ adeste & prohibete, ne tam horrenda peccata in nostri
cordis vestibula, multò minus penetralia irruant! Adhibenda nobis
hic essent exempla, sed ne in infinitum crescat oratio, Harpocrates
ea sibi commendata habeat.

Pergemus ad insulam Colchidem, quæ nostra sit, breuiter di-
cturi. Largimini mihi, Audit: per breue adhuc temporis spacium
vestram benevolentiam, sermoni operam dando. Nihil autem aliud
puto per illam ipsam significari, quam regionem aliquam Christia-
nam, in qua studia pietatis & honestatis, ceu in Colchide, custodiun-
tur & conseruantur. Talis Colchis nobis est regio splendidissima
Saxonica, in qua non modò aureum Eruditionis vellus suspensum
nobis

nobis est, verum in eadem quoque pretiosissimus Verbi caelestis thesaurus, qui longe dignior est, quam ut cum aureo vellere possit comparari, diligentissime custoditur, & quemadmodum patet, conservatur.

Habemus huius nostrae Colchidis etiam regem, & primum quidem omnium, Deum ter optimum maximum, qui non modo eam, cum aureo eruditionis vellere, tuetur, verum etiam quotidie Vellus incrementa arripere, adeoque indies splendidius atque insignius fieri iuvat. O laudandum & adorandum, summaque veneratione extollendum regem! Habemus & alium regem. Quid enim aliud est Serenissimus atque illustrissimus, potentissimusque noster Elector, Dei gratia, CHRISTIANUS II. quam fidelis, constans atque perpetuus aurei nostri velleris, quinimò veritatis divinae tutor atque defensor? Quot enim quaeso, huius conservandae gratiae, pericula quotidie sustinet? quot discrimina subit? quot diabolica tela retorquet? Notiùs sanè hoc est, quam ut à me verbis exprimi possit. Neque verò tacitus Majorum Ipsius industriam, in hoc solum, ut scilicet Dei immortum verbum tuerentur, positam, tacitam relinquam. Quanta enim, eius defendendi & propagandi causa, onera sustinuerint, à me referrinequit, id quod non raro ubique ferè, tam in nostra Colchide, quam alijs pijs locis, publicis praeconijs & encomijs, non tantum pro more, sed potius pro merito, celebrari solet. O bone Deus! quot ante aliquot annos tædia, Verbi caelestis servandi ergò, devorârunt? quot molestias pertulerunt? quot acria bella gesserunt? quantas, quantas potentissimorum hominum indignationes sustinuerunt? O laudandos, sed non sat laudandos suae Colchidis reges & principes! Talis jam quoque est Sereniss: & Clementiss: noster princeps ac Elector, qui nullis sumptibus, nullisque impensis parcit in aedificanda & amplianda sacrosancta Dei Ecclesia. Tot enim stipendia quotannis ijs, qui ob facultatum

defectum aliàs studia continuare non possent, distribuit, ut verbis
sat celebrari vix possit, de eoq̄ verè dicatur, quod sit, Pater patriæ,
cælestis veritatis amans ac tutor, studiorum ac liberalium artium
fautor ac patronus, justiciæ defensor, pacis ac tranquillitatis studio-
sus, malorum vindex, injuriæ propulsator, omnisq̄ idololatriæ ac
doctrinæ, cum verbo Dei apertè pugnantis, acerbissimus inimicus.
Vbi profectò hiscè virtutibus spaciū relinquitur, ibi aureum no-
strum Vellus splendidissimè omnibus suspensum lucet. Atqui hîc
noster Rex illustrissimus nempè ac clementissimus princeps ac Ele-
ctor Saxonie vult quidem, imò jubet, ut aureum Eruditionis vel-
lus apprehendamus & retineamus. Vult quoq̄ & præcipit Rex re-
gum & dominus dominantium summus Deus, ut scilicet ad Vellus
illud acquirendum intenti simus, & remis velisq̄, velis equisq̄ eò
pergamus, ut, si non potiri eo possimus, saltem id attingamus. At-
tamen ambo quidem lubentissimè permittunt, sed non sine conditione
hac, ut scilicet prius, sat benè à Sirenibus vexati, à Syrtibus im-
pediti, à monstrisq̄ prohibiti, hæc omnia superemus & vincamus.
Quid verò ista monstra sint, dum attenti parumper adhuc eritis,
breuiusculè me dicente, paulò inferiùs percipietis.

Sed quid per hortum, obsecro, nobis ob oculos ponitur? Anim-
advertite! Nihil aliud certè, quàm Loci præsertim in hac nostrâ
Colchide celebres & multifarijs artium, linguarum, virtutumq̄ flo-
sculis egregijs referti, ut sunt urbes, oppida, sæpè etiam pagi & si-
miles. Hinc à Poëtis tales loci appellantur horti Thespiadum, pieri-
dum, Aonidum, à Musis scilicet sic dicti, propterea quod hæc ibidem
aliquando suas sedes habuisse dicantur.

Hortus noster est celeberrima hæc nostra Vrbs Lipsia, in quâ
tot egregij flosculi tam pietatis, quàm honestatis, tam linguarum
quam

quàm doctrinarum variarum virescunt, ut non absque laudabili merito in ea quoque Vellus aureum suspensum esse, affirmare certò certius possimus. Huc advolate igitur reges; huc advolate principes; huc advolate comites; huc advolate barones? huc advolate nobiles; huc advolate divites; huc advolate pauperes & ignobiles; omnium denique ordinum infima fex & plebs advolate huc. Licet enim vobis, & cur non liceat? licet, inquit, omnibus vobis laborare ad Vellus aureum recuperandum. Adeste igitur, & strenue pergite, ut ad medium horti appropinquetis, Vellusque saltem, per nebulas quasi, conspiciatis: tunc enim nullo studio, nullo labore, nullo sudore, nullâ molestia, nullaque sollicitudine defatigabimini, quin id ipsum attingatis.

Porrò in horto isto, supra dictum est, quoque existere tres fontes, & singulos tribus virginibus, cibum, potum & odorem suavem, hortum ingredientibus & accedentibus ad fontes, largientibus, circumcinctos esse. Quid, inquis forsan, obscuritatis hîc latet sepultum? At fave linguis, ego loquar. Et ut ignoranti jam tectè prolatum patefaciam auribus, quaeso, purgatis adesse ne molestiam capiatis. Nihil autem aliud puto per fontem primum intelligi posse quam Scholas triviales, ubi prima rudimenta, ex primis doctrinarum seminibus collecta, ponuntur, ad quas nos, non aliter ac ad fontes lacte fluentes, omnium primò oportet accedere, si velimus iter ad aureum Vellus nostrum perficere. Quid verò aliud illud lac nobis ostendit, quàm literarum, vocabulorum, propositionum, argumentationum, argumentorum, illustrationum & exornationum vim atque cognitionem. Quemadmodum enim lac dulce est, illisq; primum præberi solet, qui solidiore nondum vesci possunt cibo: ita harum dictarum rerum cognitio teneris discipulorum animis initio proponitur, ut harum

ut harum leviorum beneficio ingenium ipsorum, iisdem quasi im-
butum, nutritum & auctum demum ad magis ardua & graviora pe-
netrare queat. Et hoc ipsum nobis dilucidius & planius monstrant
ternae virgines dissimili habitu indutae. Prima enim nuda, quid aliud
est, quam Grammatica? quae a teneris unguiculis, imò ab ipsis
crepundijs, ita animis puerorum est inculcanda & inserenda, ut eam
postea, in toto studiorum suorum cursu, ceu fundamento & baculo
quasi proprio niti possint. Cum enim Grammatica sit certa loquendi
& scribendi ratio, quomodo, quaeso, alter alterum in palaestris
Musarum docturus esset, vel de Deo, ad quod conditi sumus, vel de
alijs rebus? Quomodo alter cum altero latinè, graecè, hebraicè &
alijs modis sermonem mixturus esset absq; eam, ceu orationis nostrae re-
gula & amussi? Certè nullo modo id fieri posset. Quinimò tanta est
necessitas, tanta utilitas, tantaq; Grammaticae dignitas, ut sine ea
nulla firma doctrina ac solida eruditio comparari possit: ideo etiam
Fabius dicere non erubuit: Non bono jacto fundamento, hoc est, non
exactè cognitjs Grammaticis praecipis, quicquid superstruxeris,
corruet. Et profectò, nec mihi si centum linguae sint, oraq; centum,
huius unius utilitates omnes referre possem.

Quid verò altera virgo paulò ornatior denotat aliud, quàm Dia-
lecticam vel potius Logicam? quae ideò magis ornata est, quàm
Grammatica, quia, scilicet, non in nuda vocabulorum, quemadmo-
dum Grammatica, consideratione subsistat, sed etiam ipsas res,
prout sibi substernuntur, sub vocibus contentas perpendat, & simul
ex vocabulis & rebus conjunctis secundas, ut dicunt Logici, no-
tiones formet, ex quibus (simplicibus puto) fiunt propositiones,
ex propositionibus Syllogismi, ex Syllogismis demum manifesta fit
veritas. Quàm necessariò igitur & haec adolescenti cognoscenda sit,
quisq;

quisq; , qui vel etiam vix scientiarum vestibulum ingressus est, deprehendere potest. Est enim (definiente Philippo Mel:) Dialectica, ars rectè, ordine & perspicuè docendi. Vbi igitur Dialectica abest, quid aliud aderit, quàm falsorum & sophisticorum mendaciorum cum veritate commixtorum, veluti nauseam pariens chaos? quid aliud quàm tenebricosa obscuritas & perplexitas? Ipsi certè vos, Auditores, conjecturam facile capere potestis. Ideò rectè Logicam Aristoteles dixit esse ἐπισήμω ἰσχυρῶν. Item τέχνη σοφιστικῆ propterea, quia omnibus scientijs modum, quo tractari debent, præscribit, iisdemq; applicata, ita immiscetur, ut earum naturam induisse videatur, ut testatur Zabarella. Modus autem iste nihil aliud est, quàm processus Syllogisticus in quibusvis scientijs: & iccirco omnia, quæ in Logica traduntur, ad Syllogismi, tanquam finis (ut loquuntur) interni, fabricationem seu effectiōnem diriguntur. Habet præterea Logica in cæteris omnibus disciplinis, ut etiam in doctrina sacra, usum longè infinitum, quem si ostendere vellem, neque tempus hodiernum, neq; crastinum nedum horula, sufficeret: Possem quoque huius rei testes producere, sed age Harpocrates fungere munere tuo, illosq; tacitos retine prolixitatis longioris vitandæ gratiâ.

Quid verò tandem virgo tertia harum ornatissima nobis ostendit? Ecce, nihil aliud, quàm Rhetoricam, quæ Grammaticâ & Dialecticâ longè splendidior incedit. Nam quæ Grammatica simpliciter & nudè proponit; Dialectica verò disponit; ea omnia Rhetorica ornatu quasi splendidissimo induit, hoc est, variarum figurarum intermixtione illustrat. Et quid esset oratio absq; figuris & alijs Rhetoricis amplificationibus? quam utilitatem habitura esset? quam jucunditatem? quam gravitatem? quam vim & efficaciam? Certè aut nullam aut exiguam admodum. Esset enim talis Oratio velut

E

croci-

crocitatio corporum, & vox asini rudentis omnibus molestiam creantium. Sed quare? Quia nulla suavitas audiendi inest, neque vocis variatio, sed semper eadem cantilena repetitur. Eadem ratio est orationis, haud Rhetoricæ artificio expolitæ. Atqui cum Oratoris officium dicere & persuadere sit, oportet profectò ipsum talibus uti vocibus, quæ persuasionis vim augent & promovent, ideoque sæpè per similitudinem rem ob oculos ponere ac declarare, alijsque suis artificijs animos auditorum flectere & ad fidem sibi habendam attrahere.

Hæ tres artes videntur mihi, optimè comparari posse cum campo seu prato amplo, cuius fundamentum nudum sit Grammatica, illud ipsum verò herbis refertum ac viride Dialectica, idem dum herbis atque etiam floribus amœnissimum atque floridissimum Rhetorica. En habes primum fontem cum suis virginibus!

Secundus fons erat, qui paulò remotior à primo vino fluebat suavissimo, & ille ipse quoque tribus virginibus circumseptus erat. Quid verò aliud per hunc significatur, quàm Gymnasia & scholæ paulò celebriores, in quibus non modò adolescentibus lac, hoc est, primitiæ doctrinarum, sed etiam vinum, hoc est, doctrina difficilior & dignior præbetur. Quemadmodum enim vinum modicè sumptum vires addit corpori, animum & cor roborat atque exhilarat, spiritus vivificat & subtiliores efficit: ita hæc doctrina naturæ bonitatem auget, morum probitatem efficit, ingenia adolescentum magis firmat, iudicium acuit, memoriæ incrementa largitur, & ad summas facultates præparat. Hanc ipsam verò doctrinam nobis quasi è fonticulo quodam promunt hæ tres disciplinae: Physica scilicet, Ethica & Mathematica. Physica, in naturâ naturali modo existentium omnium penetrum, scientiam & cognitionem nobis porrigit. Beneficio enim

Physi-

Physices no vimus rerum principia & causas: beneficio Physi es
no vimus rerum naturalium motum & quietem: beneficio Physices
no vimus perpetuam esse rerum generationem & corruptionem: be-
neficio Physices no vimus tam egregie dispositum naturae ordinem
processumq; eius: beneficio Physices quisq; seipsum no vit. Videmus
enim, quam mirifice elaborata & exculta homo sit structura, quam
artificiosè omnes in eo partes dispositae, & alia. Quid? Quod quisq;
sui ipsius miseriam, corporisq; infirmitatem ex lapsu Adami originem
trahentem aliquo modo, dum, quam levi injuriâ corpus humanum
labefactetur aut destruat, perpendit, beneficio physices cognoscere
potest. Nec satis hoc. Quinimò ipsum quoq; Deum esse aliquo modo
(quod etiam electum Dei organon Paulus affirmat.) ex natura tam
egregie & artificiosè extructâ & non temerè existente, deprehendere
possumus. Omittâ alias infinitas physicae utilitates ob satietatem ora-
tionis longioris fugiendam. Quid verò de Ethicâ breviter quoque di-
cam? Hæc certè, quemadmodum Physica causas vivendi, ita ratio-
nem & modum benè vivendi præscribit, dum, videlicet, honestatis
ornamenta quærendi & acquirendi, turpitudinis verò monstrositatem
horrendam ceu pestem fugiendi, viam ostendit. Non dicam quod quis,
eâ ductus, ad summum illud, in hac vitâ, bonum (Ethicè loquor)
quod est εὐδαιμονία, pervenire, idq; consequi possit. Quid de alijs
Ethicæ doctrinae commodis commemorem, quæ temporis angustia,
vobis non inferenda molestia, orationisq; modestia præterire jubent?
Nec etiam Mathematica caret suis utilitatibus. Monstrat enim ra-
tionem numerandi, mensurandi, voces flectendi, varios motus, magni-
tudines & distancias corporum caelestium & terrestriū, imò sæpè va-
rias mutationes & effectus mirabiles prædicit, de quibus hinc inde

varia sunt legenda, ut haud ignoratis. Existimo enim plurimos ferme benevolorum auditorum haecenus dicta penè plurima melius nosse, quàm ut de ijs ego juvenis pro dignitate rerum verba facere queam, ideoq; eò lubentius arctiores orationis meae terminos hic efficio. En habes secundum fontem cum suis virginibus! Ad tertium oleo fluentem & virginibus quoq; tribus cinctum accedimus. Quid verò is aliud est, quàm doctrina scientiarum præstantissimarum? quæ tandem ab ijs adolescentibus, qui ex prioribus fontibus fundamentum hausere, cognoscitur & discitur. Quemadmodum enim oleum non solum ad medicamenta est aptissimum, utilissimū & ad condimenta ciborum, quibus frequenter usi fuerunt veteres, valet plurimum, sed etiam eius usus præcipuus quondam erat in palæstris & certaminibus, ubi oleo inungebantur Athletarū corpora, ut agiliores & expeditiores essent: ita quoq; huius doctrinae pinguedine qui vescitur, eaq; quasi inungitur, ille non duntaxat animi morbos curat, molestiarum acerbicatem & crudicatem veluti condit, ut eò melius easdem in corde percoquere seu perferre possit, sed præterea quoq; tam habilis & agilis efficitur, ut varias injurias, ceu Athleta, à se fortissimè & gravissimè propellat, tandemq; ad variorum officiorum & munerum dignitatem ac præstantiam, tanquam è tenebris in lucem, evehatur, in amplissimoq; sæpè demū honoris gradu & statu collocetur. Est autem seu denotat fons iste nihil aliud, quàm Academias seu scholas celeberrimas, cuius virgines oleum hoc nobilissimum depromentes sunt: Sacrosanctæ Theologiae seu verbi Dei summa & immota veritas atq; excellentia: Iurisprudentiae sapientis præstantia: salubrisq; Medicinae dignitas. Et profectò tanta est Theologiae amplitudo & sublimitas, quinetiam necessitas, ut sine eâ vivens non aliter ac bruta vite suae curriculum perducatur. Hæc enim est doctrina, quæ nos ad
imagi-

imaginem Dei creatos fuisse docet: hæc est doctrina, quæ nobis miseriam ac (Eheu!) sine intercapedine temporis ullâ deplorandam nostram calamitatem, ob oculos ponit: hæc est doctrina, quæ nobis miserie medicamentum exhibet: hæc est doctrina, quæ nos ad cognitionem Dei ducit: hæc est doctrina, quæ nobis sacrosanctæ & individue, sanctissimæq; adorandæ Trinitatis consilium de redimendo genere humano aperit: hæc est doctrina, quæ nobis viam salutis monstrat: hæc est doctrina, quæ in rebus dubijs confirmat, in adversis solatium præbet, in tristibus gaudium, in tenebris lucem, in timore animum addit, in terrore fortificat, tentationem pellit, diabolum fugat, angelos sanctos astare facit, Christum ipsum adiutorem adducit, & in summâ Deum nobis propitium reddit, omniâq; corporalia, & spiritualia ipsum nobis impertiri movet: hæc deniq; est doctrina, quæ in vitæ æternæ patriam, ubi æterna est refectio, perpetua dilectio, jucunda possessio, tranquillitas sine labore, læticia sine mœrore, dies sine nocte, vita sine morte, teste Augustino, transponit. O doctrinam omni auro & gemmis pretiosiore! ô omnibus divitijs amabiliorẽ! ô omni honore expetibiliorem! ô excellentissimam doctrinam! Quis desiderio eius non flagret? Quis eam sibi non exoptet? Quis eius dulcedinem gustare non cupiat? Quis ad acquirendam eam omnes nervos ingenij non intendat? Neminem, me Christe, fore existimo, nisi Epicureorum forsangregis sus grunniens è sterquilinio voluptatum prorepat, pietatiq; omni prorsus valedicat. Quid referam de jurisprudentia? Ea profectò tam quoq; nobis est necessaria, quam vestes homini. Hac enim tegimur, ne ulla nos injuria lædat. Sine hac fides non consistit: Sine hac corrunt leges: Sine hac violatur pietas: Sine hac prophanatur cultus divinus: Sine hac conjugiorum fœdera rescinduntur: Sine hac Charitatis & necessitudinis omne vinculum & jus evertitur &

Disrumpitur: Sine hac veneratio parentum excutitur: Sine hac pudoris & fame ornamenta abijciuntur: Sine hac innocentissimus saepe sanguis profunditur: Sine hac sanctissimus turpissima ignominie labe aspergitur: Sine hac caedes assidue cruentae perpetrantur: Sine hac vita in lustris agitur: Sine hac publica & privata exitia, cum statui domestico tum publico malum inurentia gignuntur & afferuntur: Sine hac demum prodit abominanda scelerum & flagitiorum lerna ac sentina, imperia & gubernationes pessum eunt, totaeque regiones tandem sine hac ipsa in solitudinem rediguntur & colliduntur. O adeste jura justa, nosque defendite! o adeste, malumque propulsate!

At nec Medicina artium & scientiarum postrema est. Per medicam enim artem membra corporis languida reficiuntur; corrupta, si fieri potis est, restaurantur: per eam morbi depelluntur: per eam corpus in sanitate conservatur: per eam utiles cibi dignoscuntur: per eam modus servandae valetudinis praescribitur: per eam, quantum quisque cibi assumere debet, discitur. per eam herbarum natura innotescit, florum vis manifesta evadit, cujuslibet radicis virtus apparet, & in summa, infinitae quoque sunt eius utilitates, quas si hic recenserem, procul dubio falcem in alienam messem mittere viderer. En habes tertium fontem cum suis virginibus! An vero, quaeso, non egregie elaboratum a scriptoribus & poetis hoc est figmentum? Nonne cognitu suave? nonne perceptu jucundum? nonne notatu dignum? nonne dictu utile? Sed celeri pede currimus, ne dicam ruiamus, ad colophonem pauculis addendum.

De Medea dictum est quod ipsa Iasoni pharmacon preparaverit, quo draconem insomnem & tauros igni vomos quieti sese tradere effecit. Quid, obsecro, est Medea nobis? Nihil aliud mea estimatione

matione

matione, licet per exiguâ, quàm Prudentia animi, quâ quis sapienter omnia studia sua dirigit, ad aureum Eruditionis Vellus recuperandum. Et hæc utitur pharmaco, hoc est, comparat sibi habitum in assidue indagandis & exquisitiùs perscrutandis rerum scitu dignarum fundamentis, adeoq; sedulo laborando draconem insomnem & tauros ignivomos à se pellit.

Est autem Draco ille nihil aliud, quàm extremè fugiendum Ocium, quod profecto horrendum est monstrum, in animis hominum, præsertim juvenum, nunquam dormiscens, sed semper detinens eos, ne ad Vellus eruditionis accedant. Nam ingenium hominis à natura magis proclive est, à labore ad libidinem seu ocium. Dum verò quis ocio indulget, ei que frena laxat, ad Vellus aureum se tendere, haud sibi persuasum habeat. Non enim ocio sed labore paratur Eruditio:

Ocia (enim inquit Poëta) non doctum faciunt nec somnus
Nec tibi per ventos assa columba venit. (abundans.
Ideò rectè otium dicitur, Pulvinar Satanae. Et à D. Bernbardo nominatur: Mater nugarum & noverca virtutum. Ex ocio quoniam (inhonestum autem illud puta) proveniunt turpissima vitia & mala, adeò ut rectè locutus sit Cato: Homines nihil agendo mala agere discunt. Hinc etiam queritur, Aegyptus quare sit factus adulter? In promptu causa est, desidiosus erat: Est igitur Ocium ille horribilis draco indefinenter in multorum animis prohibens, ne ad Vellus eruditionis aureum pergant, eoq; potiantur.

Atqui quid, quaeso, tauri ignivomi denotant? Nihil aliud, quàm arrogantiam & malum consortium seu prævum sodalitiurn. Et quidem Arrogantia, tam frequenter studiosis juvenibus obstat, ut sæpenumerò multi, nisi ea
resiste-


Q. K. Th. 2. 2. 2.
resisteret, ad summum honoris fastigium evehentur, sed, dum ar-
rogantiae locum relinquunt, impediuntur & summo cum dedecore
inferiori postea loco collocantur. Ideò rectè Bion aiebat: Arrogantiam
esse profectus obstaculum. Vbi enim quis arroganter de se sentit, ibi
statim sua studia negligenter tractare incipit. Sed quando quis sedulò
in studiorum inquisitione operam suam ponit, tunc re vera nullum lo-
cum, aut admodum exiguum, arrogantiae relinquit. Porrò malum
Sodalitium quoque non leve est impedimentum profectus in studijs. In
omni enim negotio, inquit Æschylus, nullum est pravà societate ma-
ius malum. Nam quicumque semel malorum consuetudini sese adjun-
git, is vix ac rarissimè à malitia animum rursus avertit, ut inquit
Iustinus dicens: δυσαναβίβας ἢ ψυχὴν ὑπὸ τῶν κα-
λῶν. δυσεκβίβας ὅς τε τῶν καλῶν σωμαθίῳ κακῶν. Id est, Vix denuò
erigitur animus ad bona illa à quibus delapsus est: & ægrè retrahi-
tur ab illis malis quibus assuetus est.

Vnusquisque igitur tam Ocium, ut draconem insomnem, quam
Arrogantiam & Prava Sodalitia, ut igni vomos tauros fugiat. Fu-
giat, inquam, & ceu pestem fugiat: ex his enim, qualis quisque sit, co-
gnosci posse putarunt viri sapientissimi ac doctissimi, ex quorum nu-
mero sunt, Demosthenes, Chrysostomus, Epictetus & alij quidam.
Et versiculus tritus ait:

Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.
Vnusquisque igitur, rursus aio., Ocium, Arrogantiam & malum con-
sortium fugiat & per assiduum studium pellat. Sic enim ad Vellus
aureum eruditionis non modo perveniet, verum etiam illud
cum laudis, honoris & decoris summo splendore depor-
tabit, perpetuumque retinebit. Dixi.

F I N I S.

1077



II h
882

DE
ELEGANTISSIMA ET LEPIDISSIMA
ARGONAVTICA
NAVIGATIONIS IN IN-
SVLAM COLCHIDEM VEL.

LERIS AVREI GRATIA SVSCEPTÆ
Fabulâ; Eiusdemque cum Studijs compa-
ratione accommodatissimâ, Ora-
torio modo elaborata,

à
JOHANNES GANDERO, ERNESTI,
*Pastoris in superiori Helrunga, filio, S. S. Theologiæ ac sa-
nioris Philosophiæ Studio, idibus Iunij permisso eorum,
quorum licet, in celeberrima Academia Lipsica
publicè & habita & in lucem edita
ac emissa*

ORATIO.



UNIVERSITÄTS-
HALLE
(SAALE)
BIBLIOTHEK

LIPSIÆ,
Typis Beervaldinis,
Jacobus Popporeich excudebat.

BIBLIOTHEC
PONICKAVIA

X 186 2322

